





10.  
12

CENTURIA THESIUM  
EX UTILISSIMA ET  
FREQUENTISSIMA RE-  
GALIUM MATERIA  
selectarum.

QVAM

ASPIRANTE DIVINA GRATIA,  
*Decreto & auctoritate Amplissimi Jctorum  
Ordinis in inclutâ & celeberrimâ Salanâ,*

PRESIDE

*Magnifico, Clarissimo, & Consultissimo VIRO,*

DN. VIRGILIO PINGGITZERO  
Jcto, P. P. Facultatis Juridicæ Ordinario  
& pro tempore Decano.

*Pro consequendo in utroq, Jure Doctoris titulo & honore  
Publicè discutiendam proponit.*

CHRISTOPHORUS LANGIUS  
NAUMBURGENSIS.

*Ad d. 5. Majj, loco horisq, consuetis.*

JENÆ

TYPIS JOHANNIS WEIDNERI,  
Anno Salutis

MDCCXIII.





I.



**F**RIDERICUS ejus nominis I. sua-  
su & consilio Bulgari, Martini, Hugonis,  
aliorumque Jureconsultorum, qui  
tum temporis Bononiæ Jus Civile pro-  
fitebantur, ab Italis Jura Imperatoria,  
quæ vocantur REGALIA, sub An-  
num CHRISTI 1155. aut circiter, justè vindicavit.

II.

Quâ de re postea peculiarem promulgavit Constitu-  
tionem, cujus etiamnum particula quædam extat in  
*c. un. quæ sint regal. in usibus feud.*

III.

Quam licet nonnulli jus locale faciant, eam ad cer-  
tas duntaxat Italiæ Civitates restringentes; nos tamen  
ex communi Dd. sententiâ, quam usus hodiernus com-  
probat, eam generalem esse, & omnes Imperii Romani  
subjectos ligare arbitramur.

IV.

Non omnes verò regalium species in hoc fragmen-  
to recenserit, sed alias quasdam tam in jure scripto, quàm  
non scripto, præter illas haberi, non diffitemur.

V.

Quamvis infinitam regalium accumulationem,  
quam tradunt Dd. nonnulli connumeratis omnibus  
quæ Princeps potest, haud probemus.

VI.

Ex his aliquas duntaxat, præmissâ qualicunque re-  
gali-

galium cum nominis, tum rei descriptione recensimus, nonnihil de acquirendi vel amittendi modis subjicientes.

VII.

Regalia autem ita denominata sunt, à *REGE*, id est, Imperatore. Quem enim hodie Imperatorem dicimus, is sapissimè, in jure feudali præsertim, Rex appellatur.

VIII.

Et ita communiter describuntur, quod sint summa Jura, ei, qui superiorem non recognoscit, aut cui superioris tacitè vel expressè concessit, in signum præminentia & in immensi laboris præmium ad Reipublicæ majestatem conservandam, illamque tuendam competentia.

IX.

Ea nonnulli à personis, quibus competant, in Papalia & secularia distribuunt, quod de *JURE* non admitimus.

X.

Nulla enim regalia Papæ de jure competunt; licet prava quadam usurpatione illorū compotem se fecerit.

XI.

Magis placet communis illa *Dd.* divisio, quâ regalia quædam dicuntur majora, quædam minora.

XII.

Majora sunt, in quibus potissimùm suprema potestas & dignitas elucet.

XIII.

Hujus generis sunt: regalium & illustrium dignitatum collatio, puta Regni, Electoratus, Ducatus, Marchionatus, Comitatus, Baroniam, &c. No-

XIV.

Nobilium item, Doctorum, Comitum Palatinorum, Poëtarum & Tabellionum creatio.

XV.

Insuper etiam potestas condendi & interpretandi legem universalem, perpetuò duraturam, & derogatoriam omnium statutorum & consuetudinum.

XVI.

Non etiam potestas condendi statuta ; hæc enim tanti momenti res non est, ut regalibus annumeretur.

XVII.

Refertur ad hæc regalia quoque veniæ & gratiæ maleficis facta concessio, ut & famæ restitutio.

XVIII.

Num verò simplex veniæ datio vel poenæ remissio, famæ & existimationis restitutionem illicò operetur, quæstionis est? quod vix admittendum putamus.

XIX.

Annumeratur quoque hisce regalibus jus erigendi Studia Universalia, vel Academias, & Privilegia illis concedendi.

XX.

Ut & Jus mutandæ Relligionis, ac recipiendi Judæos.

XXI.

Item Jus monetæ cudendæ, reprobandæ, tollendæ, mutandæ, certamque æstimationem & valorem ejus constituendæ.

XXII.

Reprobatio tamen vel mutatio probæ præsertim monetæ absq; justa causa vel populi etiam majoris partis consensu non est faciendæ.

A 3

Mu-

XXIII.

Mutatâ verò hac ratione monetâ in exsolutione pecuniae debitâ tempus contractus regulariter spectandum est.

XXIV.

Si quis monetam etiam justam & probam absque concessione Principis, vel quo alio jure sibi competente cuderit, arbitrariè punitur.

XXV.

Qui falsam & non probam conflaverit, flammis merito subjicitur.

XXVI.

Quam poenam & tùm locum habere opinamur, cum quis ad imitationem alterius Principis superiorem recognoscentis adulterinam monetam fuderit, etiamsi aurea non sit.

XXVII.

Qui radunt, circumcidunt, tondent, &c. jure novissimo arbitrariâ poenâ afficiuntur.

XXVIII.

Inter majora quoque regalia numerantur Armandia, quas armorum fabricas, & armamentaria publica interpretamur.

XXIX.

Huc referunt jus bellum indicendi, delectum habendi, foedus & pacem ineundi.

XXX.

Angariarum & parangariarum, navium item, plaustrorumque præstationes de majoribus sunt regalibus, nisi respectu fisci fiant.

XXXI.

An verò realia vel personalia sint hæc munera contro-



~~controvertitur?~~ Prius juri magis videtur consentaneum.  
XXXII.

De jure collectandi dubitatur, num hisce regalibus sit annumerandum? quod omninò putamus.

XXXIII.

Non tamen collationes illas annumeramus, quæ interdum à magistratu inferiore ex necessitate communi decreto communitatis exiguntur.

XXXIV.

A collectis regulariter immunes esse personas Ecclesiasticas cum bonis affirmamus.

XXXV.

Pertinet quoque ad majora regalia jus magistratum creandorum ad justitiam expediendam.

XXXVI.

Uti hodie Judicis & Adfessorum Camerae Imperialis constitutio, quæ à Cæsare & Ordinibus conjunctim fieri solet, juxta dispositionem Ordinationis, *part. 1. c. 1. & 2.*

XXXVII.

Nec non etiam jus ædificandi & inhabitandi regia Palatia.

XXXVIII.

Atque hæc de majoribus regalibus, de minoribus nunc dispiciendum.

XXIX.

Minora regalia sunt, quæ ad Jus fisci magis, & fiscales redditus, quam ad supremam dignitatem spectant.

XL.

Huc pertinet Jus viarum publicarum.

XLI.

Quod si alicui competat, tenetur is vias publicas iter facientibus sartas tectas & securas præstare. De

XLII.

De prædatis quoque in iis damna refarcire, modò solitam pensitationem solverint, & viâ solitâ usi fuerint.

XLIII.

Nec potest sine aliqua iusta causa usum viæ publicæ alicui prohibere.

XLIV.

Huic quoque competit delicti in via publica perpetrati cognitio.

XLV.

Ad minora regalia referuntur etiam flumina navigabilia, & ex quibus fiunt navigabilia.

XLVI.

Quorum proprietas & iurisdictio licet ejus sit, qui utitur regalibus, usus tamen omnium communis est.

XLVII.

Hinc cuivis navigationem in his liberam esse dicimus.

XLVIII.

Nec cogi possunt navigantes à Principe, ut merces hoc vel illo loco exponant, nisi Princeps legitima præscriptione fuerit munitus.

XLIX.

Aedificandi verò vel molendini extruendi facultatem in flumine publico à Principe impetrari oportet.

L.

Huc pertinet quoque regale Portus, quod *in d. c. un. qua sint reg.* cum Dd. dicimus esse vectigal, quod ex portu sive naturali, sive artificiali percipitur, & aliàs portorium dicitur.

LI.

Ut & Ripatica ibidem interpretamur vectigalia, hoc est, proventus & commoda, quæ occasione riparum percipiuntur.

Quæritur



LII.

Quæritur hîc, num quis ad evitandam solutionem ripaticorum possit flumen de una in alteram ripam ita transire, ut nec ponte nec navi ad eam rem utatur? *Quod de Jure negandum videtur.*

LIII.

Vectigal in specie, quod & telonium à Dd. vocatur, minus quoque regale est.

LIV.

Diciturque illud, quod pro invectione & evectione mercium debetur.

LV.

Quod de novo propriâ authoritate instituere vel augere nulli sine consensu Imperatoris olim licebat.

LVI.

Hodie præter Imperatoris authoritatem ad id desideratur etiam Electorum Consensus, ut continetur in Capitulatione Cæsarea cum Electoribus habita, & in Constitutione Imperii Ratisbonæ Anno 1576. factâ.

LVII.

An verò Princeps, Comes, Baro telonium, quod vel ex concessione vel præscriptione habet, ex uno eoq; consueto loco in alium transferre possit, quæstionis est? *Quod negamus.*

LVIII.

Quemadmodum etiam solitum vectigal minuere privata authoritate ei haud licet.

LIX.

Tenentur autem omnes, qui concessione vel privilegio speciali muniti non sunt, ad vectigalium protestationem, etiam milites & nautæ.

B

Et

LX.

Et qui vectigal non solvit, ejus res statim in commissum cadunt, dominiumque earum ipso jure amittitur, quamvis ad possessionem avocandam sententiâ declaratoriâ opus sit.

LXI.

Ex juris Saxonici dispositione, qui vectigal defraudavit, quadruplum persolvere tenetur, quod tamen hodie per omnia non observatur.

LXII.

An verò ultra poenam commissi insuper solitum vectigal solvere teneatur? *Neg.*

LXIII.

Minoribus quoque regalibus in *d. c. un.* annumerantur mulctarum poenarumque compendia; quæ tamen hodie maximè de consuetudine Juris Saxonici potius censentur fructus jurisdictionis & magistratibus debentur.

LXIV.

Recensentur etiam bona vacantia, quæ deficientibus legitimis heredibus & justâ conjuge ad fiscum cum omni onere transeunt.

LXV.

Quamvis de Jure Saxonico, si nemo intra annum & diem hereditatem adeat, judex loci eam sibi vindicet.

LXVI.

Spectant huc quoque bona, quæ indignis auferuntur, nisi specialiter quibusdam concedantur.

Item

LXVII.

Item bona incestas nuptias contrahentium, quæ & fisco ipso jure vindicantur, modò descendentes ex priorum matrimonio non adsint.

LXVIII.

Num etiam sponsalia incesta celebrantium? *Negamus.*

LXIX.

Inter eos, qui errore ducti, incestas nuptias contrahunt, distinguimus.

LXX.

Bona quoque damnatorum & proscriptorum huc referuntur, secundum quod novis constitutionibus cavetur.

LXXI.

Cavetur autem hisce, ut bona damnatorum liberis, & illis deficientibus parentibus ad tertium usque gradum excluso fisco concedantur.

LXXII.

Quod tamen Dd. cum Irnerio ad tertium gradum collateralium extendunt.

LXXIII.

Bona etiam committentium crimen læsæ majestatis.

LXXIII.

Quod tamen in læsione Principum superiorem recognoscentium, exceptis Electoribus Imperii, locum non habere statuimus.

LXXVI.

Argentarias huc quoque refert Frider. in *c. un.* quas Synechdochicè pro metalli, hoc est, auri, argenti, cupri, &c. fodijs accipimus.

B 2

Easque

LXXVI.

Easque regalibus simpliciter annumeramus, si re-  
pertæ sint in loco publico, quoad partem verò dunta-  
xat decimam, qui canon metallicus dicitur, si in priva-  
tis inventæ.

LXXVII.

Quæ tamen distinctio hodiè, præsertim in foro Sa-  
xonico, non usquequaque servatur.

LXXVIII.

Num etiam calcariæ, nitrariæ, lapidicinæ vulga-  
res & Carbonariæ sint de regalibus? *Neg.*

LXXIX.

Referuntur porrò ad hæc regalia piscationum & sa-  
linarum redditus.

LXXX.

Thesaurus denique repertus in loco Cæsaris vel rel-  
ligioso data opera totus, non data opera dimidiatus ad  
hæc refertur, fiscoque applicatur.

LXXXI.

Si verò vasallus in feudo thesaurum invenerit, cu-  
jus sit, non ineptè quæritur? Nos vasallo totum adjudi-  
cabitur.

LXXXII.

Quid si emtor in re emta? Emtoris erit.

LXXXIII.

Visis majorum & minorum regalium speciebus qui-  
busdam nunc de acquisitione & amissione illorum pau-  
ca subjiciemus.

LXXXIV.

Acquiruntur autem ab iis, qui superiorem reco-  
gnoscunt: concessione vel præscriptione seu consuetu-  
dine.

Conces-

LXXXV.

Concessio vel est generalis vel specialis.

LXXXVI.

Generalis & indefinita non comprehendit superiorem concedentis potestatem, quæ semper intelligitur ipsi reservata.

LXXXVII.

In generali concessione castri cum territorio regalia non concessa videntur; etiamsi concessio facta fuerit cum omni jure, quod Princeps ibi habuit, vel etiam cum mixto & mero imperio.

LXXXVIII.

Si generaliter concessio facta fuerit cum pertinentiis, num regalia comprehendantur? *Negamus.*

LXXXIX.

Etiamsi juramentum accesserit generali huic concessioni.

XC.

Quibusdam regalibus in concessione nominatis, etiamsi generalis clausula adhibeatur, non veniunt majora nominatis, sed tantum similia.

XCI.

In speciali regalium concessione non plura enumeratis concessa videntur.

XCII.

Præscriptione vel consuetudine non solum mino-

B 3

ra,

ra, sed & majora quædam adquiri certum est, modò tale tempus intercesserit, cujus initi memoria non extet.

XCIII.

Cæterum an eo casu scientia Principis opus sit, quaeritur? Non requiri eam cum communi concludimus.

XCIV.

Uno tamen regali præscripto, non etiam alia præscripta intelliguntur.

XCV.

Num regalia cumulativè vel privativè concessa vel præscripta censeantur, controversi quoque juris est; quod distinctionis remedio explicabimus.

XCVI.

Amittuntur regalia potissimùm Principis revocatione, quæ tamen sine justa causa non procedit.

XCVII.

Etiam privilegio acquisita regalia per non usum vel abusum quis amittit.

XCVIII.

An & propterea, quod quis justitiam non administrat? Regulariter negamus.

Si



XCIX.

Siquis ob pacis publicæ turbationem in pœnam  
banni vel proscriptionis fuerit declaratus, num amittat  
regalia? *Affirm.*

C.

An etiam ob contumaciam bannitus? *Affirm.*

F I N I S.





X2617645

V077







CENTURIA THESIUM  
EX UTILISSIMA ET  
FREQUENTISSIMA RE-  
GALIIUM MATERIA  
selectarum.

QVAM

ASPIRANTE DIVINA GRATIA,  
*Decreto & auctoritate Amplissimi Jctorum  
Ordinis in inclutâ & celeberrimâ Salanâ,*

PRESIDE

*Magnifico, Clarissimo, & Consultissimo VIRO,*

DN. VIRGILIO PINGGITZERO  
Jcto, P. P. Facultatis Juridicæ Ordinario  
& pro tempore Decano.

*Pro consequendo in utroq; Jure Doctoris titulo & honore  
Publicè discutiendam proponit*

CHRISTOPHORUS LANGIUS

NAUMBURGENSIS.

*Add. 5. Maj, loco horisq; consuetis.*

JENÆ

TYPIS JOHANNIS WEIDNERI,  
Anno Salutis

1713